



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

II. Quod non oportet secundum constituta imperatorum, duos esse metropolitanos episcopos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

Quorum enim te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri iudicium.

II.

Nam quod sciscitaris, vtrum diuisis imperiali iudicio prouinciis, vt duæ metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari: non vere visum est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei ecclesiam commutari, honoresque aut diuisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit imperator. Ergo secundum pristinum prouinciarum morem, metropolitanos episcopos conuenit nominari. Cyprios sane asseris, olim Arianæ impietatis potentia fatigatos, non tenuisse Nicænos Canones in ordinandis sibi episcopis, & vsque adhuc habere præsumptum, vt suo arbitratu ordinent, neminem consulentes. Quocirca persuademus eis, vt curent, iuxta Canonum fidem, fidem catholicam sapere, atque vnum cum ceteris sentire prouinciis, vt appareat sancti Spiritus gratia ipsos quoque, vt omnes ecclesias, gubernari.

*Nic. Conc.
Can. 4. & 9.*

III.

Arianos præterea, ceterasque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conuersos ad Dominum, sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur, clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cuiuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum baptisma ratum esse permitimus, quod vtique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptisate illisque mysteriis arbitramur: quoniam cum a catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem spiritus quam acceperant, amiserunt. Nec dare eius plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius quam per fidem, dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri potest, vt eorum profanos sacerdotes, dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, vt dixi, ad sancti Spiritus percipiendam gratiam, cum pœnitentiæ imagine recipiamus? Grauitas itaque tua hæc ad notitiam coepiscoporum, vel per Synodum, si potest, vel per harum recitationem faciat peruenire, vt ea quæ

1. q. 1. Arianos præterea ceteros.

1. q. Qui perfectionem.